



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiae Parisiorum, 1678**

Ad Eandem. Josepho Figuierio Canonico Et Succentore Ecclesiae  
Rothomagensis, Musicae Societatis Principe Et Agonotheta. Ode VII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

Echo garrula fornices ;  
 Et portare levi dat Zephyro procul  
 Magni dona Fieuxii ,  
 Et famam celebrem trans mare barbarum,  
 Linguae flumine lacteo  
 Quo vult cumque animos ducere callidi,  
 Promissum meritis pedum ,  
 Cervicique leves cui feret infulas  
 Claro sanguine clarior  
 Virtus , & pietas juncta modestiae ;  
 Ni se religio malè  
 Fraudare ipsa suis certet honoribus.

## AD EANDEM.

JOSEPHO FIGUIERIO

CANONICO ET SUCCENTORE

ECCLESIAE ROTHOMAGENSIS ,

MUSICAE SOCIETATIS PRINCIPE ET AGONOTHETA.

## O D E VII.

**D**ESCENDE Olympo , & duc age candidis  
 Tecum quadrigis coelituum choros  
 O Diva , cui cantus fidesque  
 Et tremulis modulata ventis  
 Sunt ara cordi. Festa clientium  
 Te turma ad aras luce vocant sua ;  
 Pompaque solemnibus laborant  
 In numerum celebrare laudes.

V. iij

Præit micanti Figuerius manu  
 Arguta blandus tangere cymbala,  
     Auresque suspensas canoris  
         Atque animos tenuisse chordis.  
 Rex ille sacri dictus & arbiter,  
 Donanda claris præmia vatibus  
     Ostentat, & victrice frontes  
         Ardet ovans redimire lauru.  
 Jam tibiæ acres, & Berecynthiæ  
 Buxi, & remistæ cum citharis lytæ,  
     Vocemque crispantes ephebi,  
         Dulce melos bene temperato  
 Plausu remittunt. Par studium omnibus  
 Nuptam Tonanti dicere virginem,  
     Sanctoque custodem pudori  
         Appositum thalamisque castis;  
 Et missa sponso lilia cœlibi,  
 Hortisque lapsas æthereis rosas,  
     Ad quarum odorem pulsa fugit  
         Corde Venus, Venerisque proles.  
 Nec clara fratrum prælia liquerint  
 Oblivioso pressa silentio,  
     Palmasque, & æternos subactis  
         Numinibus dominâque rerum  
 Româ triumphos. Foemina, nobilis  
 Dux facti & auctor: nec puduit viros  
     Duram sub imbelli magistra  
         Sponte pati didicisse mortem.  
 Illa irretortis luminibus rogos  
 Ferrumque, & omnes barbariæ trucis  
     Secura formas intueri, &  
         Carnificum potuit ferendo

Consumere iras. Sed neque vitreo  
 Splendore fortunæ, insidiantibus  
 Nec passa Sirenum illecebris  
 Pectora plena Deo moveri.  
 Divina Amazon! sic tibi laureis  
 Intexta semper lilia floeant,  
 Castique servatrix pudoris  
 Perpetuo rosa vere spiret;  
 Audi piorum vota sodalium,  
 Hoc & precanti Cæcilia annue,  
 Longos ut Harlæo fruatur  
 Sospite Figuerius per annos:  
 Harlæo, amicum quem sibi numina  
 Si dextra servant; non Phrygias opes,  
 Non sceptrâ, fortunamque regum  
 Invideat pretiosorem.

## IN EANDEM.

## DITHYRAMBUS.

## ODE VIII.

**G**RATUM sonantis Cæcilia organi  
 Docta vocales animare cannas,  
 Perque ære sylvam fusilem  
 In numerum digiris concordés ducere ventos;  
 Interiore domus recessu  
 Secum pudicos ventilabat ignes,  
 Et virginales nuptias  
 Coniuge digna Deo canebat.  
 Custos pudoris aliger sub alto  
 Lectas Olympi vertice fert rosas,